

relicta sunt. « Bellarminus autem, unus e correctoribus Romanis, testatur, hanc editionem nondum esse accuratissime correctam, et superesse non pauca, quae adhuc in melius mutari possent. Viri docti plus quam quattuor milia mendorum in editione Clementina numerarunt. Cur autem menda illa sublata non sint, multae causae sunt. Primum quidem illa ad essentiam rerum non pertinent. Deinde memineris S. Hieronymum textu antemasoretico usum esse; ubi ergo Vulgata a textu masoretico dissentit, dubium est, an non hicce sit corruptus. Saepe eruditi disputant, quomodo locus aliquis vertendus sit. Praeterea periculum est, ne fideles textum S. Scripturae sibi saepius notum mutari videntes scandalizentur, idque eo magis, quoniam correctionem Vulgatae sequi deberet versionum vernacularum emendatio. Denique Vulgata correcta libri liturgici obsolescerent et ab usu removendi essent, quod praeter alia incommoda magno damno ecclesiis et privatis esset.

CAPUT TERTIUM.

De interpretatione protestantica.

§ 117.

Sententiae protestantium de interprete Scripturae.

Quum protestantes S. Scripturam unicam fidei regulam haberent interpretationemque ecclesiae authenticam respuerent, alium interpretem Scripturae constituere sunt coacti. Tres inter eos hac de re exstiterunt sententiae. Alii S. Scripturam suam ipsius interpretem censuerunt, alii revelationem Spiritus S. cuique privato assistentis, alii rationem solam Scripturae interpretem autumarunt. Haec autem omnia, nec a Christo sunt instituta, neque huic muneri exsequendo sunt idonea.

1. — *Scriptura sua ipsius interpretis* bifariam dici potest. Aut eo sensu, quod sit tam perspicua, ut interprete non indigeat, verum sensus ejus cuique quamvis tardo et indocto primo aspectu pateat, nec dubium vel error de eo oriri possit. Aut vero eo sensu, quod una Scripturae pars aliam interpretetur.

Quod ad priorem sensum attinet, constat Scripturam perspicuam non esse, et sensum ejus saepe ne doctis quidem primo aspectu apparere; indoctos autem plerumque interprete indigere. Unum tantum argumentum addimus, centenas sectas protestantium inter se contrarias, quae omnes locis ejusdem S. Scripturae causam suam defendunt.

Quoad secundum sensum, non est dubium, quin unus S. Scripturae locus alium authentice interpretetur. (Interpretatio authentica interna.) At inter omnes Scripturae aliquantulum gnaros constat, paucos tantum Scripturae locos aliis perfecte explanari, multos autem, utpote qui locos parallelos non habeant, plane nullo modo explicari. Et saepe loci paralleli aequae obscuri sunt, ac loci explicandi.

Huc pertinet *interpretatio panharmonica*, quam *Frid. Henr. Germar* annis 1821—1834. induxit, ut nimiae dissensionis ac novitatis studio obicem poneret et rationalismum impediret, quam interpretationem plures theologi protestantes amplexi sunt. Haec normam interpretationis statuit analogiam doctrinae biblicae, sanae rationis et factorum certorum; seu eum tantum sensum accipit, qui cum aliis locis biblicis indubitatis (imprimis Christi dictis), et cum principiis rationis vel factis alioquin certis consonat.

Quamvis hoc principium per se sapientissimum sit, si ipsae veritates, ad quarum normam interpretatio fit, certae sint, ad usum tamen nihil fere valet. Nam multi loci biblici ejusmodi analogia, quibus illustrentur, non habent. Deinde ipsa doctrina biblica, principia rationis, veritatesque historicae, ad quorum normam interpretatio facienda sit, a sectatoribus liberi examinis tum diverso sensu accipiuntur, tum in dubium vocantur; itaque ipsa norma interpretationis incerta est et vacillat.

2. — *Interpretatio pietistica* ope revelationis privatae Spiritus Sancti seu *Spiritus privati*. Quaedam protestantismi sectae, plerumque saec. XVII. ortae (pietistae, quakeri, methodistae, Swedenborgiani, mormoni, et in Hungaria anabaptistae et Nazareni) autumant, omnibus Scripturam legentibus Spiritum S. assistere, lucem infundere, sensumque S. Scripturae immediate revelare. Sententia haec, quae ad deliria falsi mysticismi pertinet, et nemini sobrio ac sano arridere potest, sequentibus refutatur.

a) *Argumenta* sectarum sunt quaedam Scripturae dicta e contextu excerpta et male interpretata; specialiter illa, quae fidelibus auxilium Spiritus S. promittunt vel datum asserunt. Hi autem loci ad lectionem Scripturae et Spiritum S. assistentem perperam referuntur.

Tales loci sunt: a) Joan. 1, 9. *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Verum locus hic significat Verbum esse lucem, quae omnes homines non lumine prophetico sed

doctrina sua illuminet. Idem enim Verbum apostolos et ecclesiam docentem instituit. —  $\beta$ ) Joan. 14, 26. *Paraclitus Spiritus S. . . vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixerero vobis.* Hoc loco et aliis similibus Spiritus S. non fidelibus, sed apostolis eorumque successoribus verbum Dei praedicantibus et custodientibus promittitur; fidelibus autem identidem officium eos audiendi iungitur. —  $\gamma$ ) I. Cor. 2, 10. *Nobis autem revelavit Deus (sapientiam Dei absconditam) per Spiritum suum, etc.* S. Paulus de se et aliis fidei praeconibus loquitur, quibus Deus mysteria sua immediate revelavit; vel si de omnibus fidelibus loquitur, revelationem per Christum et apostolos datam significat. —  $\delta$ ) Rom. 8, 14. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* His verbis Paulus non inspirationem privatam, sed gratiam moventem designat, et fideles monet, ut non impulsibus carnis, sed gratiae obtemperent. —  $\epsilon$ ) I. Joan. 2, 20. 27. *Vos unctionem habetis a Sancto, et nostis omnia. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium.* Sed unctio gratiam significat divinam, quae fideles per Christum et per ecclesiam docuerit, ita ut Christiani doctrinae haereticorum non indigeant.

$b$ ) Constat assistentiam Spiritus Sancti a Christo apostolis eorumque successoribus promissam esse, non autem omnibus fidelibus. Imo ipsis successoribus apostolorum non inspiratio positiva, sed tantum infallibilitas promittitur. Revera apostolis eorumque successoribus ad fidem praedicandam et custodiendam peculiari Spiritus S. auxilio opus erat. Id tamen fidelibus opus non est, quum iis Christus aliam doctrinae suae cognoscendae rationem, scil. auditionem verbi et fidem praeceperit.

Non est dubium, quin Spiritus S. etiam in intellectum et voluntatem fidelium influat. Id autem, etsi invisibiliter ac supernaturaliter, tamen modo ordinario fit, non inspiratione, revelatione vel miraculo, sed gratia. Spiritus S. intellectum fidelium illuminat, ut quod ex praedicatione ecclesiae didicerunt, intelligant et credant; corda eorum ad ea, quae audierunt, diligenda inflammat, voluntatem eorum movet, ut audita perficiant, sed novas veritates fidelibus — saltem ordinarie — non revelat. Deus superflua non facit, nec miracula sine necessitate multiplicat; atqui revelatione objectiva per prophetas atque Christum data, privata revelatio perpetuum esset superfluumque miraculum. Et si Spiritus S. omnibus hominibus privatas revelationes impertiret, supervacanea esset revelatio per prophetas, Christum et apostolos data, imo superflua ipsa S. Scriptura. Si omnes prophetae et inspirati, quid opus esset peculiaribus legatis divinis?!

$c$ ) Spiritum privatum hujus sententiae patronis *revera non assistere, apparet ex interpretatione* locorum allegatorum et aliorum evidenter *mala*. Deinde verus Scripturae sensus saltem litteralis nisi unus esse non potest; et tamen ii, qui privata revelatione gloriantur, in Scriptura interpretanda inter se dissentiunt. Utique mirum est, ut Spiritus S. ita sibi repugnet.

$d$ ) Denique haec sententia *viam aperit superstitioni, fanaticismo, furori ac seditionibus*. Imaginatio enim hominum, inspirationem ardentem desiderantium et exspectantium, adeo incalescit, ut sua figmenta, somnia ac deliramenta pro revelatione Spiritus S. habeant, idemque aliis persuadeant. Qui autem ita se a Spiritu S. agi credunt, mox omnem auctoritatem, non solum ecclesiasticam sed etiam civilem detrectant, omnemque societatem religiosam tamquam superfluum dirimunt, imo denique ipsam Scripturam saltem ex parte rejiciunt, eique libros mysticos supponunt.

Historia protestantismi docet, quantas turbas atque atrocitates pistores et sartores Bibliorum interpretes (e. g. Monasterii) exercuerint. Etiam aetate nostra in Hungaria Nazareni Scriptura ac Spiritu privato freti, jusjurandum, tributa et militiam recusant, malis resistere vetitum habent, et si qua fides rumori, nonnunquam impudicitiam exercent.

Praeter opera hermeneutica supra memorata (A. H. Franke, J. J. Rambach, Joach. Lange, Dan. Wittenbach, J. E. Pfeiffer, Rud. Stier) in scriptis exegeticis hanc theoriam professi vel secuti sunt: Ph. Jac. Spener, Paraphr. et expos. quarundam Pauli et Joan. epistolarum. 1697. sqq. — I. Alb. Bengel, Erklärte Offenb. Johannis. Stuttg., 1740. Gnomen des N. T. Tübing., 1742. — I. Arn. Kanne, Christus im A. T. Nürnberg, 1818. — Conf. Theol. Quartalschrift. Tübing., 1827. pag. 547.

3. — *Ratio Scripturae interpres* aut cujusvis hominis aut eruditorum intelligitur. Sed neutra ad interpretationem Scripturae sufficit.

Ratio cujusvis hominis *singularis*, interpres ineptissima esset atque errorum parens. Scriptura enim est liber obscurus et difficilis, qui sine multa scientia philologica, historica, archaeologica ac theologica intelligi non potest, qua vero plurimi carent, imo magna hominum pars nec legere sciunt. Itaque hi omnes versionibus et interpretationibus aliorum uti coguntur; ergo revera auctoritatem humanam, non autem propriam rationem sequuntur. Deinde paucissimis hominibus vacat rei biblicae studere, et e S. Scriptura doctrinam fidei morumque colligere atque religionem

exstruere. Atqui Scriptura sine profundo studio lecta necessario errores parit.

Sed neque ratio *erudita* ad interpretandam Scripturam sufficit. Nam *a)* ipsi rerum periti in Scriptura intelligenda multas difficultates inveniunt. *b)* Hujusmodi interprete unitas fidei tollitur. Quum enim opiniones hominum, etiam eruditorum, et maxime eorum, praesertim in rebus obscurioribus diversissimae esse soleant, interpretationes sola ratione factae totidem fere sunt, quot capita et quot doctores. Ita una religio a Christo instituta in varias sectas scinderetur, omnis societas religiosa convelleretur, et sceptis, indifferentismus atque irreligio nascerentur. *c)* Libera Scripturae indagazione omnibus erroribus porta aperitur, et jus existendi datur. Quisque enim propter Scripturae obscuritatem suas opiniones in ea inveniet. Ita omnia placita etiam perniciosissima, bonis moribus ac societati adversa auctoritatem Scripturae praetenderent. *d)* Ipsi protestantes principium liberi examinis in praxi relinquere sunt coacti. Mox enim decretis synodalibus, confessionibus, catechismis et commentariis interpretationem arbitrariam ac nimiam opinionum diversitatem prohibere, et saltem articulos fidei fundamentales contra vastationem liberi examinis tueri conati sunt. Sed quum adversus sequelas principiorum suorum et adversus logicam pugnarent, nihil profecerunt, et ruinam doctrinae evangelicae impedire non valuerunt. Hinc plurimi eorum in rationalismum lapsi, ipsa fundamenta religionis Christianae deseruerunt, facto suo propria principia condemnantes et regulam fidei catholicam confirmantes.

Ne dicas, rationalismum esse errorem privatorum, ab ecclesia protestantica segregatorum. Revera enim ille jam totam theologiam et ecclesiam protestanticam pervasit atque infecit. En aliqua exempla.

*Otto Dreyer* superintendens Gothanus omnia dogmata (ipsam divinitatem Christi, originem Bibliorum divinam, miracula et omnia supernaturalia) tamquam scientiis et sensui communi contraria, non amplius praedicari nec credi posse, ideoque dimittenda censuit. Religionem tamen Christianam, ad tranquillitatem ac solatium animi et ad bonum societatis necessariam, sine ullo dogmate retinendam esse, ut religionem cordis et affectuum, instinctu quodam vel interna intuitionem nixam. (*O. Dreyer*, *Undogmatisches Christenthum*. II. Aufl. Braunschweig, 1888.) Alii (e. g. *Kaftan* prof. Berolinens.) novis dogmatibus opus esse autumant. Conventus autem XVIII. protestantium Germaniae anno 1889. Gothae celebratus edixit, vetera dogmata vim et auctoritatem perdi-

disse, omnemque eorum restituendorum atque conservandorum conatum reprobavit.

Quum autem quidam pastor animarum, professionem et praedicationem symboli apostolici recusans, a consistorio depositus esset, res ad theologos Germaniae protestantes delata est, quorum plerique defensionem pastoris renitentis susceperunt. Imprimis *Harnack* hac occasione usus, publice ac vehementer contra symbolum apostolicum (ejus originem apostolicam et vim obligandi) disputavit, et anno 1892. auditoribus suasit, ut mox in publico munere constituendi professionem symboli apostolici abolere studerent.

### § 118.

#### De lectione S. Scripturae.

1. — Protestantes lectionem S. Scripturae omnibus indiscriminatim fidelibus ad salutem necessariam esse contendunt; ideo Scripturam in linguas vernaculas (jam plus quam trecentas) translatae omni studio inter gentes dispergere conantur. Idem docent *Jansenistae*, imprimis *Quesnel*, qui ecclesiam accusat, quod Scripturam prohibendo os Christi quasi obstruxerit, et fideles excommunicatione quadam afficiat.

Doctrina haec est consequens logicum regulae fidei protestanticae. Si enim Scriptura unicus fons est et unica norma fidei, ea sane omnibus pateat, oportet; nec ejus lectio impedienda imo vero omnibus modis promovenda.

Attamen lectio S. Scripturae non est omnibus necessaria, sed plane periculosa, quam praesertim in lingua vernacula ecclesia catholica propter abusus jure meritoque cohibuit, etsi nunquam absolute et omnibus interdixit. Hoc autem per tres demonstramus propositiones.

*Propositio I. Lectio S. Scripturae non est necessaria neque necessitate medii, neque ex praecepto.*

1. Non *necessitate medii*, quia *a)* Scriptura non est unicus fons nec unica norma fidei, imo alius est fons originalis, antiquissimus, a Christo institutus, uberius, clarior et facilius accessibilis, scil. traditio, et alia norma fidei, scil. propositio ecclesiae. Si ergo aliquis fidei fons absolute necessarius est, ille certe non Scriptura est, sed traditio. *b)* Lectio S. Scripturae multis hominibus physice vel moraliter impossibilis est et olim plane fuit: physice omnibus, qui tempore, quo Scriptura nondum fuit, vel nondum innotuerat,

vixerunt, et hodie quoque infantibus, caecis, aegrotis; moraliter autem ante typographiam pauperibus, et vel hodie scientiae biblicae indoctis et negotiis vitae occupatis. Atqui Deus medium salutis impossibile instituere non potuit.

2. Lectio Scripturae neque *ex praecepto* divino necessaria est. Nam ejusmodi praeceptum ad impossibile obligaret, quod absurdum est. Nec tale praeceptum ullibi, sive in ipsa S. Scriptura, sive in traditione invenitur.

a) *Non adest in ipsa Scriptura.* Loci, quos protestantes afferunt, libros sacros laudant, vel lectionem eorum commendant, sed minime praecipunt. Filiis quidem Israel lectio Legis (anno sabbatico) praescripta erat; verum nec illi Scripturam per se legebant, sed publicam praelectionem atque interpretationem audiebant. Et tamen liber Moysis iis erat historia gentis, lex civilis et liturgica ad vitam necessaria, et omnes libri sacri iis erant multo magis quam nobis intelligibiles. Quodsi Christus (Joan. 5, 39.) dicit: *scrutamini scripturas . . . illae sunt, quae testimonium perhibent de me*, animadvertendum est, hoc non discipulis, sed pharisaeis dici. E contrario scimus a Christo et apostolis praedicationis auditionisque necessitatem, nunquam autem Scripturae lectionem inculcatam esse. (Luc. 10, 16. Rom. 10, 14. sq. 17. II. Thess. 2, 14. II. Tim. 1, 13. 14. 2, 2.)

b) *Neque traditio*, ad quam nonnulli protestantes provocant, lectionem Scripturae praecipit. (In magnis utique sunt angustiis protestantes, si jam ad traditionem refugiunt.) Patres quidem lectionem Scripturae, praesertim Christianis eruditis, sub certis conditionibus commendant, sed minime praecipunt; auditionem autem ecclesiae praecipunt. Imo Scripturam commendantes saepe non lectionem ejus suadent, sed doctrinas ea contentas. Etiam praesumunt Scripturam a fidelibus duce ecclesia legi, etquidem magis Novum Testamentum, quam Antiquum. Ceterum tunc temporis, quum lingua Graeca adhuc vivebat, et facies rerum nondum valde mutata erat, difficultas Scripturae multo minor erat, quam nunc est.

*S. Chrysostomus*, ad quem provocant, lectionem Scripturae suadet, non ut fideles ex ea religionem suo Marte componant vel doctrinam ecclesiae judicent, sed ut praedicationem melius intelligant, et ipsi familiam suam ad religionem instruere possint. Eos qui legere nesciunt, Chrysostomus ad praedicationem remittit, et omnibus doctrinam ecclesiae regulam fidei esse docet. Alter, quem protestantes causae suae patronum adhibent, *S. Augustinus*, plane expresse dicit, sine auctoritate ecclesiae se nec evangelii crediturum esse. Praeterea scribit: »Homo fide, spe et charitate subnixus non indiget scripturis, nisi ad alios

instruendos; itaque multi per haec tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt.« (De doct. Christ. I. c. 39. n. 43.) Imo Augustinus monet, Scripturam non esse omnibus dandam; paganos enim scandalizari, Christianos ejus obscuritate in errorem induci, haereticos autem eam male interpretari. Frustra etiam nomen *S. Hieronymi* a protestantibus praetenditur. Hic enim docet Scripturam intellectu difficilem fidelibus, nisi ecclesia duce legentibus non prodesse, et certe praestare dicit ecclesiam interpretantem audire. Eum, qui extra ecclesiam sit, perire, sicut regnante diluvio perierunt, qui extra arcam Noe fuerunt.

*Ceteri* autem *Patres* lectionem Scripturae non esse necessariam plane declarant. *S. Irenaeus* dicit, multas gentes credere sine charta et atramento. (Adv. haer. III. 4.) *Tertullianus* ait: »Fides tua te salvum fecit, non exercitatio scripturarum«. (De praescript. c. 14.) Et mos est Patrum, veritates fidei traditione potius, quam Scriptura demonstrare. Doctoribus autem et praecibus evangelii lectionem Scripturae, ex qua doctrinam hauriant, necessariam esse, patres utique docent, neque ecclesia unquam negavit.

*Propositio II. Lectio Scripturae omnibus indiscriminatim utilis non est, imo laicis atque indoctae plebi nociva est ac periculosa.* Id natura Scripturae et historia probat.

1. *Scriptura* est liber intellectu difficilis, cujus lectio multa studia et conditiones morales requirit, sine quibus non intelligitur, imo male intelligitur. Scriptura praecipue Antiqui Testamenti narrationes continet, iis qui antiquorum mores ignorant, risum, juvenibus et adultis levioribus plane scandalum praebentes. Insuper versiones vitiosae errores perniciosos fidelibus eas dijudicare nescientibus intimare possunt. Sicut ergo cibus salubris stomachum infirmum corrumpit, ita salutare Scripturae verbum indoctis atque incapibus morbi ac mortis animi causa fieri potest.

2. Teste *historia* multae haereses a lectione Scripturae vulgari et perversa ejus interpretatione ortae sunt. Jam gnostici, Ariani, iconoclastae, Waldenses et Albigenses, Wiclefitae et protestantes e Scriptura male intellecta vel perverse interpretata sua placita hauserunt, vel per eam aliis suaserunt. Absurdissime autem lectionem Scripturae coluerunt quidam protestantes.

Melanchton reformatorem facile doctissimus et Carolostadius male Scripturam intelligentes (Gen. 3, 19. Coloss. 2, 8. etc.) omnes homines a Deo immediate doceri autumarunt, scientias profanas reprobarunt, libros philosophorum igni dandos esse, et omnes labore corporis victum mereri debere contenderunt. Quorum auctoritate freta civitas Vratis-

laviensis institutionem juventutis, tamquam Scripturae contrariam per plures annos abolevit.

Imprimis lectio Scripturae *popularis* in lingua vernacula saepe non modo gravium errorum sed etiam seditionum causa fuit. Exempla hujus rei praebet historia protestantismi nascentis. Multi inspirationem et prophetiam sibi arrogarunt; et homines indocti praedicationem evangelii susceperunt. Flagitia Bibliis probata, adulteria, conspirationes, caedes per exempla biblica excusata sunt.

In Anglia lectio Scripturae tantas effecit turbas, ut anno 1543. Henricus VIII. eam in lingua vernacula prohibere cogeretur. Anabaptista Münzer Bibliis demonstrare voluit divitias esse usurpationem, leges omnes in libertatem Christianam injurias, et praedestinos peccare non posse. Joannes Lugdunensis (Batavorum) pro fornice Scripturam exercens, dux hominum fanaticorum Monasterium expugnavit, et rex novae Sion constitutus quattuordecim uxores duxit, polygamiam esse partem libertatis Christianae et privilegium sanctorum docens. Quidam Lutheranus patriarcham Jacob imitatus duas duxit uxores; mulier autem quaedam anabaptista, exemplum Judith secuta, episcopum Monasteriensem interficere tentavit. Mormoni male interpretatis S. Pauli verbis (I. Cor. 15, 29.) iterum et saepius pro mortuis baptizantur. Imo hodie quoque in Hungaria Nazareni et anabaptistae, agricolis et sutoribus prophetis auscultantes, ex Bibliis placita sua societati adversa hauriunt ac demonstrant.

*Propositio III. Ecclesia lectionem S. Scripturae, quam olim minime vetuerat, necessitate coacta in lingua vernacula sapientissime et saluberrime coërcuit, nunquam autem absolute prohibuit.*

Antequam necessitas postulavit, per duodecim saecula ecclesia nequam lectionem Scripturae impedivit, quin etiam commendavit. Necessitate coacta primum anno 1199. lege particulari eam restrinxit. Lex autem generalis hac de re demum saeculo XVI. data est. Imo nec ab hoc tempore lectio Scripturae unquam absolute et omnibus, minime vero lectio textus originalis et antiquarum versionum viris doctis interdicta; sed tantum lectio versionis vernaculae, justissimis de causis propter perniciosos abusos circumscripta.

1. *Primis ecclesiae saeculis* S. Scriptura tota vel magna ex parte tum lingua originali, tum vernacula (Graeca, Latina, Syriaca) in conventibus fidelium legebatur et explicabatur, imo fideles opulentiores etiam codices nonnullorum librorum sacrorum possidebant et privatim

legebant. Scripturam fidelibus familiarem fuisse, ex homiliis Patrum antiquorum oratorumque medii aevi apparet, quae crebris allusionibus notitiam Scripturae in auditoribus arguunt. Nullum prohibitionis Scripturae vestigium invenitur ante exitum saeculi XII-i. (Gregorius quidem VII. litteris ad Vratislaum Bohemiae datis translationem S. Scripturae in linguam vulgarem dissuasit, sed lectionem talis versionis non prohibuit.)

2. *Anno 1199.* episcopus Metensis Innocentium III. Pontificem certiores fecit, multos fidelium suorum in occultis conventibus S. Scripturam lingua Gallica legere, pastoribus suis resistentes auctoritatem Scripturae allegare, imo nonnullos in haeresim Waldensium lapsos esse. Pontifex quamquam ceterum lectionem Scripturae laudavit, tamen propter abusus episcopo mandavit, ut fidelibus suis lectionem S. Scripturae interdiceret. Quum autem haereses Waldensium et Albigensium lectionem Scripturae urgentes in dies majora caperent incrementa, synodus Tolosana (1229.) et Tarraconensis (1233.) asservationem et lectionem S. Scripturae vernaculae laicis prohibuerunt. Versiones illae, de quibus agebatur, erant vitiosae, ab haereticis indoctis ad placita sua disseminanda confectae. Saeculo autem XV-o, quum Wiclef lectionem Scripturae necessariam esse doceret, et versionem suam Anglicam mendosam ac corruptam divulgaret, synodus Oxoniensis (1408.) versionem ejus damnavit atque interdixit, et editionem Bibliorum Anglicam sine approbatione episcopi vel synodi provincialis generatim prohibuit.

3. Haec vetita tantum *particularia* fuerunt, quibus non obstantibus Biblia, saltem libri populo utiliores, in aliis regionibus legebantur et edebantur. Frequentem Scripturae vernaculae usum probat magnus editionum protestantismo antiquiorum numerus. Jam ante typographiam inventam quaevis fere natio suam habuerat versionem. A tempore artis typographicae inventae usque ad publicationem versionis Germanicae Lutheri, intra septuaginta annos 800 editiones totius Scripturae vel partium ejus prodierunt, quarum plus quam 200 in lingua vernacula. Et tamen eo tempore omnes viri eruditi linguam Latinam sciebant, quibus etiam versiones Latinae quasi vernaculae erant. Itaque falso protestantes gloriantur a Luthero demum Biblia sub scamno protracta esse.

In *Germania* jam saec. VIII—XI. versiones vernaculae particularis confectae sunt. Ante annum 1518. saltem quattuordecim versiones Germanicae totius S. Scripturae exstiterant. Prima S. Scriptura Germanica typis descripta est anno 1462., quam usque annum 1520. saltem viginti quattuor editiones Germanicae totius Scripturae, et innumerae